...thias
...nesn.

Łobzyński Joan. Dionys: Analecta elo-
giorum Illmi et Rmdi. Matthiae
Łubieński Archiep. Gnesn. 1644.

A

I

A

F V

In C

ANALECTA ELOGIORVM,

ILLVSTRISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI

D. MATTHIÆ ŁVBIENSKI

Archiepiſcopi Gneſnenſis, Primatis Regni, Legati Nati, Primique PRINCIPIS,

Tanquam

FVNDATORIS MVNIFICENTISSIMI

SACRARII. DIVÆ CZESTOCHOVIENSIS.

IN MONTE CLARO.

Permiſſu Superiorum. 4.

CRACOVIÆ.

In Officinâ Typographicâ Franciſci Cæſarij, Anno Dñi. 1644.

IN ARMA GENTILITIA,
ILLVSTRISSIMI & REVERENDISS. ARCHIANTISTITIS.

Orbe stat in medio, Gladio, Caput acre Bisontis
Transfixum, bellum Stemmata triste parant;
Trux Ferus obiectat cornu, hostibus; Ense duellum
Intonat, horrisonè totus in arma ruit:
Si Petasus, Galea est; Telum, Crux; Vmbo, Corona;
Si Pugil, est Præsul; prælia quanta putas?
Sacratum παρασημόν habes, Sacratus & ipse AN-
TISTES; Diuinum in Pegmate Martis opus?
Congredere omnibus faustis; vix Cornua Vibras;
Et iam Schisma, nefas, hæresis intereunt.


1642

ILLVSTRISSIME
ARCHIANTISTES,
REVERENDISSIME
PRIMAS,
CELSISSIME PRINCEPS,
Domine & Mæcenas Amplissime.

NON est, sed nec vnquam fuit mens mea, omnia meritorum Illustrissimæ & Reuerendissimæ Celsitudinis Tuæ Elogia, succincto hoc comprehendere stylo. Theatris grandioribus, pangetur olim, ista laus. Verùm nec affectio animi, Ordinis nostri, erga Reuerendissimam Celsitudinem Tuam, ex simplici verborum apparatu æstimanda; cum & hæc, longè securiùs, fide pectoris continetur. Quia tamen Te Tanti, adeoque Magni, in Sacris, Herois, virtus (Dia liberalitas super omnia) emi æquè, ac publicâ coli gloriâ, meruit; quod vi-

cissim, ex aliis plurimis Emblematum versuumq́; picturis, (quibus sub Tuum felicissimum, ad Clarum Montem, aduentum, gratitudinis & lætitiæ ergo, nostrum collucebat Triclinium) in rudibus remanserat chartis, id quoq́; quasi iteratò reponendum censuimus, vt à quo inceperunt, in eodem desinerent meritorum præconia. Absit vt pectore nudo, adeo viua in nos, DIVAMq́; *nostram, cum Basilicè extructo Sacrario, collata per Te, Pientissime* PRINCEPS, *gestemus simulachra? His insuper non omnino mortuis (si Lyrico fides, qui dignum laude virum, Musa prohibente, vetat mori) elogiis, quæ sub Triumphalem, translatæ nuper sacræ Imaginis plausum, ad suæ Archipræsuleæ Liberalitatis Mausoleum, fœcundiori Genio, Entheata, in laudem Tuæ Munificentiæ egessit virtus, Te insimul* Magnum Verum, *æternitati consecrare, magis & magis, operæ pretiũ duximus. Memores illius sacrosancti, Soteris nostri, moniti.* Colligite fragmenta ne pereant. *Ne igitur, Illustrissime* PRINCEPS, *& hæc paucula è multis, quasi in vnũ fascem collecta, Tuâ Maiestate, indignum existimes, pellegere Analecta. Tuum siquidem totum est, in his temporariis impressum foliis, quidquid Tu æternum, in Monte Claro, esse voluisti. Et sanè peccare me dixissem, in Tuam, Illustriss.* PRINCEPS, *facilitatem, cum tenuem, non in tenui, præconiorum Tuorum, opere, Tibi omnium Maximo* PRÆSVLI,

Cœnobi-

Cœnobitici mei genii, offero laborem; nisi quod, hanc quoq; necessariam certè præsumptionem, dum primum Panegyricum, Illustriss. Celsitudini Tuæ dicaui, pro innatâ Tibi clementiâ, iam condonasti. Quamuis nec est, quod me deliquisse rigidior quispiam, in personam Tuam, plenam ætatis & Maiestatis, censor accuset; Grauior Suada, de Te Grauissimo & Ampliss. Senatorii Ordinis Patre; Patriæ Augustali; Regni Proxeneta; imò etiam Rege Sacrorũ, grauiores aliquot contexuit Inscriptiones. Pauca insuper, ad calcem eiusdem Syncharmatici opusculi, adieci Poematia, non tam nutriendo (qui arduis Ecclesiæ & Reipub. pasceris negotiis) quàm potiùs recreando Præsulari genio Tuo. Nisi quod, hic quoq;, qualis qualis labor, ex quo non à fortunâ, sed à religiosâ submissione (quæ potissima est animi portio) profectus, ad æternitatem Illustriss. nominis Tui conspirat. Et sanè transibunt istæ etiam pusillæ paginæ, cum Tuis ingentibus gestis, vnaq; cum illis & amor erga Te noster, ad posteros abibit, literarumq́ue beneficio ab interitu vindicatus, de omnium fluxarum fortunarum cineribus, triumphabit. Videbunt longinqui successores, profusæ Tuæ in DIVAM CLAROMONTANAM *Liberalitatis, etiam in altero sæculo, memoriam, & conuellente omnes Titulos, omnes diuitias, Morte, Te Pientissimum* PRÆSVLEM, *adhuc in pauculis hisce monumentis viuere certissimo arbitrabitur.*

bitrabitur.

bitrabitur. Atq; eam felicitatem voueo totius Ordinis Protoeremitici nomine, imò & spondeo Venerabundus. SOSPITATRIX DIVA, ÆTERNI, VERBI MATER. *Hæc omnia omnium nostrum vota, sospitabit, vt Tu Clarissimus, in Monte Claro, cultus* MARIANI *promotor, per nominis, nunquam intermorituri, gloriam, omnibus simul locis terrisque, omnibus sæculis esse possis, & mori nunquam.*

Illustrissimæ & ArchiReuerendissimæ
Celsitudinis Tuæ
deuotissimus Cliens.

Fr. IOANNES DIONYSIVS ŁOBZYNSKI,
Ord. S. PAVLI Primi Eremitæ.

INSCRI-

INSCRIPTIO I.

DEO OPT: MAX:

AMPLISSIMO IN POLONIA
SACRORVM ANTESIGNANO.
PRIMATI REGNI, PRIMO PRINCIPI,
Legato Nato, ARCHIEPISCOPO Gnesnensi,
MATTHIÆ LVBIENSKI.
CVI OB BASILICAM RECENS,
CLAROMONTANÆ DIVÆ
CONSTRVCTAM.
OMNES BONI OPTIMAM, AMICI TRANQVILLAM, RESPVB:
Diuturnam Salutem precatur.
ANNVE VOTIS, MAGNA PARENS!

INSCRIPTIO II.

INGREDERE ô REX SACRORVM,
REGIS POLONORVM PROXENETA.
REGNI AVGVSTALIS.
ARCHIANTISTES REVERENDISSIME
TE REIPVB: COLVMEN, IVBARQVE LECHIACI SENATVS.
PORTA HÆC, PANDO SINV EXCIPIT.
Qui ex angusto Augustum DIVIPARÆ in Claro Monte
CONSTRVXISTI DOMICILIVM.
TV SEDIS huius AVGVSTA, PRÆSES;
VOTA OMNIVM NOSTRVM
MERITISSIMO FVNDATORI, AVSPICATO PORTAM HANC
INGREDIENTI,
DIV FAVSTA: DIV RATA ESSE CONCEDE.

INSCRIPTIO III.

HOC VECTIGAL GRATITVDINIS
COLENDISSIMO MÆCENATI SVO,
ARCHIPRÆSVLI GNESNENSI, PRIMATI REGNI.
MATTHIÆ LVBIENSKI.
Æternum Memor Beneficij in DIVAM Claromontanam collati.
Minimus Ordo S. PAVLI Primi Eremitæ,
VENERABVNDVS SOLVIT.
SOSPITET SOSPITATRIX DIVA, MAGNVM
PATRONVM.
AVDI HÆC VOTA DEVS!
QVIA & SANCTA & PIA POSCIMVS!

INSCRIPTIO IV.

ARCHIEPISCOPO Munificentissimo.
MATTHIÆ LVBIENSKI.
Non ex auro intinctis trabibus; Sed omni Cedro
Eiusdem Reuerendissimi Nobilioribus Virtutibus.
PORTA Hæc PANDITVR.
HANC MEMORIAM IPSE SIBI EREXIT.
Dum DIVINISSIMÆ GENITRICI, Hoc in Monte, Hanc
SACRAM ÆDEM EXSTRVXIT.
Atque vel ideo, in Corde PROTOEREMITICI Ordinis,
Perennem Aram Liberalitatis Meruit.
QVAM & APPRECANTES, CLIENTES Humillimi, ERIGIMVS.

INSCRIPTIO V.

Perennitatem nunquam intermorituri Nominis.
HONORVM, VIRTVTVM, MERITORVM LAVREIS.
EXÆQVA-

Exæqvatam, Tibi MAXIME PRINCEPS
IN HOC ARCV TRIVMPHALI
SISTIMVS.
Qvi ARCHIVIRGINI, Æterni Verbi MATRI.
PER VOTVM DEO AVRVM.
Sacrarium hoc, Magnvs & Ipse Archipræsvl, Condidisti.
Vtque Tantæ Pietatis & Mvnificentiæ, Cæleste
Prytaneum, Pretium, Fiat.
Hæc Ipsa DIVA Faciet.

INSCRIPTIO VI.

Hæc Invsitata Splendoris Pompa.
IN MONTE CLARO.
Dvm Reginæ Cælorvm Favores Deprædicat;
Beneficia insimul, Inter Gestientium Populorum plausus, Loquitur.
Illustrissimi ARCHIEPISCOPI Gnesnensis
MATTHIÆ LVBIENSKI.
Huic igitur Virginalis Basilicæ Fvndatori.
Sacra Hæc Moles Svrgit.
VIVAT (Vox Vna Omnium est) Annos Nestoris.

INSCRIPTIO VII.

Esse Pium in MARIAM
Non Verbo, sed Opere & Veritate,
Docuit.
ARCHIREVERENDISS. PONTIFEX GNESNENSIS
MATTHIAS LVBIENSKI.
Dum Primum Primatis Regni Primique PRINCIPIS.

Laticlauium Consecutus Fuisset.
Hanc Regali Munificentiâ Basilicam.
Fieri curauit, Ornauit, Dilatauit.
C V I
Si alijs PRÆSVLARIBVS Virtutibus caruisset,
Ad Nominis Claritatem satis esset,
In Monte Claro, Tantum Opus Condidisse.
Vt Magna & Rara in DIVIPARAM DEVOTIO
E Claro Monte Spectabilior fieret.
OPTIMO Suo BENEFACTORI.
Gratum Animi Monumentum.
Cœnobium CLAROMONTANVM
P O S V I T.

INSCRIPTIO VIII.

MATTHIAS LVBIENSKI
ARCHIEPISCOPVS GNESNENSIS.
Religione in DEVM.
Zelo in ECCLESIAM.
Amore in Patriam.
Munificentiâ in Pia Opera.
Nulli Secundus
Suas Curas cum defixisset in Cælo.

Extra DEI MATREM.
Post DEVM.
Nihil magis amauit in Terra;
Illam Animitùs pectore gestans, Teneri non potuit,
quin ei hoc Sacrarium exstrueret.
Liberalitate certans cum MARIA,
Quod accepit à MARIA,
Refundens iu MARIAM.
Plura & maiora per MARIAM accepturus olim!
Hoc Vadimonium, ipsa DIVA Facit & Spondet.

INSCRIPTIO IX

Ec quis credidisset
Magnum Regni Primatem, Primumq́; Principem.
Eò descendisse, vt ex ARCHIEPISCOPO Gnesnensi,
Architectus & Structor MARIANVS, Fieri
In Claro Monte Voluerit?
Donec tandem Profusis Sumptibus,
Angelorum & Mortalium REGINAM,
Quæ Cæli ambitu vix continetur,
In hoc Sacrario conclusisset.
Stupet Hæc Mysteria polus, stupet Terra.

Talis tamq; Potens Virgo Hæc, cui Regia surgit.
Par Domus & Dominæ,
O quam Paruo Compendio
DIVVS idem Fundator, sibi Immortalitatem
Comparauit.!
*Æ ernum Dignus, cuius Effigiem Solertes Manus
Ære ducant,
Ebore reddant, Marmore sculpant, Auro fundant,
Vbique Erigendam.
Ita Vouemus! Ita Fiat.*

INSCRIPTIO X.

ADSTA VIATOR.
Nefas enim tacere, quod PVBLICVM esse voluit.
ILLVSTRISSIMVS & REVERENDISSIMVS
REGNI PRIMAS,
MATTHIAS LVBIENSKI
Quando Principali suâ Munificentiâ
Sacram hanc, Molem, dilatatis Aeccessibus
Speciosam effecit.
Quo Cælorum Reginæ, Diffusam Maiestatem, non
amplius ex angusto spectare recessu, aut
tenuibus euocare Votis.
Quot quot Peregrini Confluitis, possitis.

Atque hoc tandem est
Tot populorum Pectoribus esse Pium!
Hem quantam Materiem, Pietas Reuerendiss. inuenit? vt non suis tantum; Sed & alienis Meritis Viueret.
Viuat, ô Viuat quam Diutissimè!
Hoc apprecare Viator, & Abi.

INSCRIPTIO XI.

Perenne grati Animi Monumentum.
Minimus Ordo PROTOEREMITICVS.
Munificentissimo, MARIANÆ in Claro Monte Basilicæ
CONDITORI.
Sarmatico Patriarchæ, Seni Abrahamico,
Sacerdoti PRINCIPI. Maioribus Nobilissimis.
Moribus Antiquissimis, Heroi Clarissimo.
Qui in Sacerdotalibus Opibus.
Nil æque suum duxit,
Quam vt omnia, sua in Ornamentum Ecclesiarum effunderet.
Effudit & in Claromontanam DIVAM.
Hoc Excitato, eius ad Honorem, Sanctuario.
Quo Augustiùs, Augusta Cælorum Domina.
Suæ Amplitudinis, Fidelissima Patrona

Cum suâ Sacratissimâ Imagine
Commoretur.
O Grata Deo Diuæque Liberalitas.
DIV PERENNA!

INSCRIPTIO XII.

Procul ô procul hinc Prophana Elogia,
Procul Fabulosa Laudum Simulachra;
Pietati ARCHIANTISTITIS Gnesnensis.
Totum est consecratum.
Quæ Sola, post alia Præclarè Gesta.
Vel ob vnicum hoc CLAROMONTANVM
DOMICILIVM æuiternè elucescet.
Vbi, cum vndiq; deuotus Splendor emicat, Amplitudinem
Fundatoris vicissim Spectabilem
FACIT.
Omnino vtraq; hæc Maiestas, non admiratione tantũ,
Sed & Veneratione dignissima?
O DIVA.
Supra quam nihil Nisi DEVS est!
Vota, quæ pro Positore Templi istius
FVNDIMVS.
Quâ Clemens & Pia es,
IMPLE.

INSCRIPTIO XIII.

Domicilium Æternaturæ Gloriæ,
PRO DOMICILIO DIVÆ CLAROMONTANÆ,
PER REVERENDISS. ET ILLVSTRISS.
D D. MATTHIAM LVBIENSKI,
Archiepiscopum Gnesnensem.
Nouitèr exstructum,
Quidni Lubentes reponamus?
Quod non imber edax, non Aquilo impotens, possit diruere.
Aut immutabilis Annorum Series,
& Fuga Temporum.
Hanc igitur & talem Fabricam, ab Amore delineatam,
Apollinari dexterâ desculptam,
Doctis animatam coloribus,
Æternùm Gratus Ordo S. PAVLI Primi Eremitæ,
In Perpetuum Conceptæ Lætitiæ
Argumentum.
Venerabundus F. F.

INSCRIPTIO XIV.

HOSPES
Paucis Volo

SACRA-

SACRARIVM quod intueris,
Sacra, Pietatis in MARIAM, eſt Memoria.
ILLVSTRISSIMI PRIMATIS REGNI
MATTHIÆ LVBIENSKI.
Sors cecidit, nimirum in MATTHIAM,
Vt Hoc adeò Splendidum Ædificium
(Suâ illud, & DIVÆ Noſtratis, implens Præſentiâ)
Hoc mutæ iſtæ teſtantur Tabulæ;
Hoc lateres, Hoc Saxa Loquuntur,
Quot Lapides, ſub hoc Albario Opere,
Tot Stellas Elogiorum Reuerendiſſimi
Futuras.
Teſtes Locupletes ipſius in DIVIPARAM Pietatis.
O Te Beatum, Cui adeò Munificum,
IN DEI MATREM,
CÆLORVM REGINAM,
Eſſe Licuit!

INSCRIPTIO XV.

Omnium Maximo, Senatorij Ordinis, Patri,
Sacratioris, in Polonia, Aulæ, PRIMIPILO,
Epiſcoporum, Chiliarcho.
MATTHIÆ LVBIENSKI.
Cui

Cui Soli dicata hæc Pompa.
Ob Constructum in Claro Monte
DIVIPARÆ SANCTVARIVM.
O Dignam æterna Panegyri Pietatem!
Tabulis Cedrinis Stylo perenni
Incidendam!
Nisi quod ipsa se, rerum Veritas, in Propylæum
LVBIENIANÆ effert Gloriæ.
Vtinam Optime & Munificentissime
CONDITOR.
Ærernùm Viuas!
Qui adeò Æternum Tuæ Pietati
Struxisti Monumentum.
Hocce Successu, Clarus Mons sibi applaudit.
Atq; vt pari secum Triumphetis Palmâ,
Quotquot Peregrini adestis,
Supplex postulat.

INSCRIPTIO XVI.

Hûc qui præteris ades.
Nec pigeat Paucula discere.
ILLVSTRISSIMVS LEGATVS NATVS, REGNI PRIMAS,
MATTHIAS LVBIENSKI.

Non ad vnius Episcopatus Gloriam Natus:
Chelmensem, Posnaniensem, Cuiauiensem,
Cathedras exornauit.
In Gnesnensi Archie-Episcopio, Omnium Præsularium
Virtutum Epitome factus:
Cumq; tota Vita Pius ac Munificus fuisset;
In exstruendo DIVÆ Claromontanæ
SACRARIO.
Supra modum Pientissimus, & Munificentissimus:
Hoc vnum posthac Fama loquatur opus.
Sic, quando ille DIVIPARÆ in terra, temporariam
Erigit Ædem.
DIVIPARENS eidem in Cælo
Æternum præparat
Palatium.
Vbi satis Ecclesiæ, Patriæ, Felicitati, Cælo
Super omnia Maturus Vixerit.
Meliori Apotheosi, quàm Romanorum Augusti
Redonandus.
Inter Polonorum, futurus, Indigetes,
PATER & PATRONVS.

CORO-

CORONIS HONORARIA

Ex Stemmate & Liberalitate

Duorum Reuerendissimorum Antistitum,

ILLVSTRISSIMORVM FRATRVM,

MATTHIÆ GNESNENSIS,

ET

STANISLAI PLOCENSIS

LVBIENIORVM.

Symbolicè Exposita & Proposita.

NON est facilè vnam aliquam, etiam politissimam facundiam, inter hos duos, æquè Illustrissimos ac Pientissimos Præsules, ita partiri, vt vtriusq; se exæquet, potissimum in Virginem Claromontanam, Munificentiæ & Pietati. Quis enim edisserat, vt vnus illorum ante supremum suum funus, mille aureorum nummorum, dilatandis parietibus Sacrarij Virginalis, destinatos, hanc ipsam Diuam, eorundem fecerit Hæredem; Alter hoc ipsum Sanctuarium, à fundamentis erexerit. Igitur cum paris Pietatis molitionē, in Claro Monte, intueor, Omnino opus ipsum, in plures authores, discerpere non aude-

rem, nisi palam constaret Archiantistis Gnesnensis, Primatis Regni, esse perfectionem. Illi nimirum hanc Gloriam Deus seruauit, vt & splendidum absolueret ædificium, & suâ Diuæq; præsentiâ Auspex impleret. Absit igitur vt Tantos & Tales Fratres ab inuicem separemus, quos arctiùs Pietas cum MARIA, quàm sanguis cum natura, coniunxit Hinc constantior hæret ille nexus, etiam solutâ Naturâ, quia & Pietas in MARIAM, mente quàm ventre, constantiùs, piâ voluntate, vtrosq; consociauit. An ita sit Mysteria, non verba inspicite.

Et quamuis plura hâc ipsâ in Materiâ (prout ea delineaueramus) è merito hic deberẽt & possent poni Emblemata. Quatuor attamen nonnisi, (ne quis obsonium Panem putet) exposuisse sufficiat. Si verum est illud, non omnino vulgare: *In paucis sapor.* Satiùs est enim, vt quis nouam famem expectet, quam nimiùm comesta, fastidiat. Nisi quod illustrandis his quoq;, defuit artificum, saltim scita manus, procul dubio emortuis, vitam datura, literis, si Cupro incisa, cum suis figuris, in publicum ab arte prodijssent Symbola. Horum Tu ô Lector, quâ felicitate es ingenij, tuo genio supple defectum, atq; hunc gloriæ Sacrum, Illustrisimorum LVBIENIORVM, Partum, seriùs ama.

EXPO-

EXPOSITIO HISTORICA.

Primi Emblematis.

Duo Episcopi Pontificalitèr induti, repræsentant Illustrissimos, Primatem, & Reuerendiss. Plocensem (Lubienios Fratres) Imaginem Diuæ Claromontanæ sustinentes. In nubibus desuper signum Geminorum cum hac Inscriptione: *Frater cum adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma.* Prouerb. 18.

EMBLEMA I.

Et Sanguine, & Pietate, Fratres.

Consilio Patres, Patria est, si quando iuuanda;
Pontifices fecit, Religionis Amor;
Sanguine collucent; magìs ast Pietate Mariæ;
An non hic Pollux; Castor & ille fuit?

PARAPHRASIS.

Secundi Emblematis.

Ex vnâ parte, quasi ante Aram, stantis Imaginis, Diuæ Claromontanæ, D. Lucas cum penicillo pictorio adstat, ad cuius pedes insigne ipsius, Taurus alatus, terræ incubuit: Ex alterâ itidem Pontificalitèr indutus Illustrissimus Primas, hanc ipsam S. Imaginem, tanquam

Fundator Sacrarij Claromontani, manibus fortitèr apprehendit: At pedes verò eiuſdem Archipræſulis, Biſons Gentilitius, humo ſimiliter ſupercubat.

EMBLEMA II.

Paris Molitionis, Par Pietas.

Effigiem iſte dedit; templum dedit iſte Mariæ;
Stemma vtriſq́ vnum, Par Pietatis Opus;
Non melius Faciem Lucas depingere quiuit;
Præſul digna magis, non dare Templa poteſt.

ENARRATIO.

Tertij Emblematis.

Templum ſiue Sacrarium, ex arte Optices, quaſi apertum intuſq́; exornatũ, in cuius medio adſtat altare, ſupra quod Imago D. Claromontanæ, à cuius vultu radij protenſi vſq; ad faciem, in genua poſiti Antiſtitis, totum illũ circumcirca illuminant. Ex ore autem Præſulis orantis, verba iſta promanãt: *Vna hæc fortunis, Ara reperta, meis.* Iam verò Propylæum eiuſdem Sacrarij, prominentibus extra, quatuor columnis innititur, ad quarum ſingulariũ baſes, adinſtar cuiuſdã ſuſtentaculi, Stemma Gentilitium Archiantiſtitis noſtri, nimirum Caput Biſontis Gladio transfixũ, depoſitum eniteſcit.

EM-

EMBLEMA III.

Capitolium Lubieniorum, Romano quouis ſanctiùs.

Panditur hoc Sacrum Penetral, Tibi Magna Virago,
Archiepiſcopeæ, quod poſuêre, Manus.
Inſontes hæc Ara tegit, Mariæq́ fauorem
Quærentes; Votis iſta dicata Domus;
Hanc veluti Teſtem Sacri Tibi Pectoris Arrham,
Tu Virgo ſolito lucis, amore, foue,
Quin foueas Illum quoq́, qui Tibi Templa dicauit,
Viuat Io Præſul: viuat Opuſq́ Tuum!
Corpore ſiue animo languens, hîc pronus adora;
Quæ Sancti nequeunt; Iſta Virago poteſt.

EXPLANATIO.

Quarti Emblematis.

E nubibus manus extenſa, cùm gladio, capiti Biſontis ſiue Tauri impreſſo; quale viſitur in Stemmate Illuſtriſsimi Primatis, qui Pontificalitèr indutus eundem Taurum per cornua, coccineâ præcinctum vittâ, ducit ad Victimam non inuitum.

EMBLEMA IV.

Non inuitus trahor, vt immoler.

Tauri

Tauri coccineâ miraris cornua Vittâ
Constricta? Huic signo nilne subesse putas?
Sic redimitus erat, quoties stans hostia ad Aram
Romanam, Taurus victima cæsa fuit;
Denotat hoc Gladius, Caput id notat acre Bisontis,
Hostia Præsul adest, qui Pia Templa struit;
Ampliùs haud quæras, ista ô quid, Stemmata signent?
Præsule cum Sacro, Stemmata sacrificant.

Atq; hic ne ampliùs, sed nec vltra tende calame; Oceano laudum tantorum Antistitum obruendus. Quis credat dignum aliquid de illis promi posse? Quorum alter stylo & consilio pollens, potens, plura de rebus in Polonia gestis volumina, inter curas Senatorias, à se cõscripta, publici iuris esse voluit; Alter eâdem prudentiâ vbiq; conspicuus, piæ suæ munificentiæ, tot sacris ædib⁹ è fundamentis eductis, se ipsũ, in omnem seram posteritatem, exhibuit admirandum. Nequaquam igitur ampliùs é terrâ, sed è cælo laudãdi, vnde & redonandi æternùm. Quare profusionẽ linguæ restringimus, vt qui illorum consulere ex pari non possumus dignitati; saltem temeritati consulam⁹ nostræ. Ex quo ornat⁹ illis totus, nõ à formâ cincinatorum verborũ, sed à materiâ Præclarè gestorũ succrescit. Ergo silem⁹, tenuitatis nostræ cõscij; ac insimul venerabundi finimus in apprecatione, mox & deprecationẽ subiuncturi.

SAL-

SALVETE ô MAGNI HEROES!

Præsularibus inuoluti Fascijs; Trabeatis circumamicti Togis.

A M B O

Fauente Cælo, Gestiente Patriâ, Gratante Familiâ, Triumphante Claro Monte.

E C C L E S I Æ O R A C V L A.
R E I P V B. C O L V M I N A.
P R O S A P I Æ D E C O R A.
MONTIS CLARI CLARISSIMA SYDERA.
D I V O R V M A M O R E S.
R E G V M D E L I C I Æ.
M A R I Æ C O R C V L V M.

Ergo in tanta Fatorum benignitate; dum Ecclesiæ Orthodoxæ; dum Regno; dum Sereniss. Regibus; dum Familiæ; dū nostro Claro Monti; & deniq; dum his ipsis Heroibus, Præsulibus, Senatoribus, eam, ô Lector, Sospitatem, nobiscū gratularis; omnia pariter fausta, æquè superstitibus, ac vita functis, Beatitatem, inquam, vtrisq; apprecare. Sed quo abijmus iterum cum calamo? Veniam audaciæ date, *O Magnæ, Magnorum Mystarum, Animæ!* Auiculas nimirum imitati sumus, quas, cū nihil possent opulentiùs, plumas ad Magnificentiss. Delphici Apollinis templum, sicut & apes ceras detulisse legimus; Idem & nos Religiosæ Paupertatis cultores, hic & nunc conamur, quando pro Basilicâ D. Claromon-

tanæ, Pietate & Munificentiâ Lubienianâ exſtructâ, ad cætera, gloriæ veſtræ, monumēta, hanc quoq; ingenij Cænobitici opellam, cum eruditis iſtis Analectis adiungimus, quæ vel ideò, quia vos pientiſſimos duos Fratres vterinos, magnos Præſules continet, vilis vobis non erit. Vtq; alijs, veſtra itidem merita placeant, illa ipſa facient, quibus & vos hactenus, Deo, Eccleſiæ, Patriæ placuiſtis. Et ſanè libentes concedimus; poſſint alij in laudem veſtrā ſcribere aliquid magnificentiùs; Cænobium noſtrū nihil amantiùs: Quodſi ſummas has veſtras virtutes, ſtylus hic noſter quoquomodo detriuit, Deus Opt. Max. qui ſolus, verum eſt & conſummatum, omnis irriguæ pietatis, Hoſtimentum, immortalibus ſuis recompenſet præmijs. Hæc votorum noſtrorum meta, Hæc linguarum præconia, Hic manuum plauſus, Hic ſpiritus, perenni apprecationi, conſecratus, imò ſermonis magìs finis, quam gratiarum. Ex quo non à fortunâ, ſed ex ingenio, totum id, quod offerimus, ducimus. Sincerum itaque hoc mentis noſtræ donarium, nil dubito, quod, ſicut animo magnifico, ita & manu Præſulari, PRINCEPS Archireuerendiſſime, excipies. Et ſanè quemadmodum Tua in DIVAM Noſtram digna eſt immortalitate pietas, ita & noſtra in Te omni acce-

ptatione,

ptatione dignissimâ gratitudo. Quam, tanquam votiuum debitum, omni ære, omni nexu, magnoq́ue cultu, interea reponimus, vt vicissim, in donum conflata, illa quoque æterna fiat. Et erit. Donec tandem, post tot, pro Ecclesiâ & Republicâ exantlatos labores, inter virtutum & meritorum Tuorum Triumphos, quatuor Præsularibus Infulis redimitum caput, æternum beatus, stellis inseras innectasq́ue.

Etiam Phæbus Olympiaco descendat ab axe,
Tuq́ue coruscantis Syderis instar eas;
Vltro syderei, cedant tibi signa, theatri,
Subijciantque tuo colla superba, iugo;
Erigone cedat, vocalis cedat Orion,
Cedat Erychtonius, cedat & ipsa Venus.
Viuito stellimico felix in vertice Præsul,
Efficiant noctem sydera, tuque diem,
Omnes excedant Stellæ cœlestibus aruis,
Tu solus superis perge, micare, globis.
Patritus tuus euge Bisons tecum ardeat astris,
Arctoo siquidem dignior ille Boue.
Sic Tu, Stemma tuumque dabit noua lumina cælo,
Tu signum, Solis, Luna, Bisontis erit.

FINIS.